



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

Claudi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

transiret, & clamaverunt, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. *Matth. 20. v. 29. & 30.*

II. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. Et stetit Iesus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. *Matth. 20. Vers. 31. 32. 33.*

III. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum. *Matth. 20. v. 34.*

Claudi.

MEDITATIO XCV.

Christus cecos & claudos curat in templo.

I. **A**ccesserunt ad IESUM cæci, & claudi in templo; & sanavit eos. *Matth. 21. v. 14.*

II. Videntes autem principes sacerdotum, & Scribæ, mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt, & dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique. Nunquam legistis:
Quia

Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? *Matth. 21. & 15. & 16.*

III. Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam; ibique mansit. *Mat. 21. & 17.*

Concurvata.

MEDITATIO XCVI.

Christus mulierem XVIII annis infirmam Sabbato sanat.

I. ERAT Iesus docens in Synagoga sabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum videret Iesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. *LUC. 13. & 10. 11. 12. 13.*

II. Respondens autem archisynagogus, indignans, quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum à præsepio, & ducit ad aquam? Hanc autem filiam Abrahamæ, quam alligavit Satan, ecce, decem & octo annis,
non